

ea nihil operis fit, divinam autem ipsam nuncupauerunt, eo quod nulli miscetur coinquinationi, & ipsa lapidum naturas mundificat, & coinquinationibus abluit. Et quemadmodum sol in corporibus, sic ipsa in lapidibus agit, & ipsa penetrat, & perforat, & constans est & recta. Hæc etiam in sole videntur. Item notandum, quod opus fit ex 7 planetis. Primum namque ex Saturno, deinde ex Jove, deinde ex Marte, deinde ex Sole, deinde ex Venere, deinde ex Mercurio, deinde ex Luna. Primum regimen est Saturni, scilicet putrefacere, & soli imponere, compositum vero fit per noctes 40. Secundum vero est Jovis, scilicet terere & per noctes 12 imbuere, quod dicitur regimen stanni. Tertium est Martis, scilicet spiritum à corpore sequestrare, quod dicitur convertere. Quartum est Solis, scilicet nigredinem & venenum abluere, quod dicitur candidare. Quintum est Veneris, scilicet coniungere humidum sicco coadunare, ac calidum frigido, hoc autem dicitur regimen æris. Sextum Mercurij, scilicet comburere, quod dicitur regimen argenti vivi. Septimum est Lunæ, scilicet assare, & calefacere, & componere per 25 dies, & hoc regimen dicitur argenti. Ecce tibi opus peregi, cave igitur ne erres. Et scias, quod album fit albedine, & eius fermentum est illud quod scis, dealba igitur & intellige. Item simili modo notandum est, quod lapis inquisitus caret simili, in terra; est autem citrinus aureus extrinsecus & intrinsecus, cum autem alteratur, fit eius corpus nigrum & tenebrosum ut carbones. Spiritus autem ab eo ablati, color est albus & liquidus, ut aqua: animæ vero color est rubeus. Anima autem eius & spiritus ei redditur, vivit & lætatur, ac eius lumen, & decor ei redeunt, & vides eum ridentem & hilarem, ac morte carentem, eo quod iam mortuus est, deinde vivit, mortui namque cum resurgunt perpetui: benedictus ergo sit ille cuius dispositio est hæc, qui mortificat, vivificat, & omnipotens est. Itē similiter noli quicquid facere quousque scias, nam si quid insipiens feceris errabis, & opus tuum invanum periet. Deinde philosophos reprehendes, & eos errare putabis. Item notandum, quod dies est nativitas lucis, nox vero nativitas tenebrarum. Sol quoque est lucerna diei, & Luna lucerna noctis, quos ad mundum regendum Deus creavit. Luna autem à sole lumen percipit, per combustionem, & est dilatata, eo quod solis lumen in ea est, ideoque solis natura lunæ naturam superat. Si utique contempleris, & super verbis meis mediteris, invenies me veridicum, & huius significationem intel-

s. Vol.

E

liges,

*Opus di-
vini.**Colores**☽ ☿ ☽*